

QK. 267/49.



DE AMPLITUDINE  
MINISTERII SACRI HODIERNÆ

AD VIROS  
MAXIME ET PLVRIMVM REVERENDOS AMPLIS-  
SIMOS DOCTISSIMOS

ARCHIDIACONVM, PROTOMYSTAS,  
ADIVNCTOS, PASTORES,  
DIACONOS,

VERBI DIVINI IN FREYBERGENSI DIOECESI MINISTROS

EPISTOLA

M. IOANNIS GOTTLÖB RICHTERI  
PAST. ET SVPERINT. FREYB.



---

FREYBERGAE,  
Litteris BARTHELIANIS.  
MDCCCLXXXI.



DE THERMOMETER  
METERIALIS DAGER HONIGSEN  
AD ALIO<sup>2</sup>  
THERM ET LUMIN REMANENTIA ALIAS  
SOLAR DECIMAS  
ALPHONSEM PHILIPPEM  
DIVINCIO<sup>2</sup> PASTORE  
DIAGNO<sup>2</sup>  
ET IN DIU IN INGENIERIA DOLCHI MATERIA  
HERBICOLA  
MICHAELIS GOTTFRED DICHTERI  
FATI ET SAVITRI IESU

LIBRARY  
THE LIBRARY  
MICH

15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47  
48  
49  
50  
51  
52  
53  
54  
55  
56  
57  
58  
59  
60  
61  
62  
63  
64  
65  
66  
67  
68  
69  
70  
71  
72  
73  
74  
75  
76  
77  
78  
79  
80  
81  
82  
83  
84  
85  
86  
87  
88  
89  
90  
91  
92  
93  
94  
95  
96  
97  
98  
99  
100  
101  
102  
103  
104  
105  
106  
107  
108  
109  
110  
111  
112  
113  
114  
115  
116  
117  
118  
119  
120  
121  
122  
123  
124  
125  
126  
127  
128  
129  
130  
131  
132  
133  
134  
135  
136  
137  
138  
139  
140  
141  
142  
143  
144  
145  
146  
147  
148  
149  
150  
151  
152  
153  
154  
155  
156  
157  
158  
159  
160  
161  
162  
163  
164  
165  
166  
167  
168  
169  
170  
171  
172  
173  
174  
175  
176  
177  
178  
179  
180  
181  
182  
183  
184  
185  
186  
187  
188  
189  
190  
191  
192  
193  
194  
195  
196  
197  
198  
199  
200  
201  
202  
203  
204  
205  
206  
207  
208  
209  
210  
211  
212  
213  
214  
215  
216  
217  
218  
219  
220  
221  
222  
223  
224  
225  
226  
227  
228  
229  
230  
231  
232  
233  
234  
235  
236  
237  
238  
239  
240  
241  
242  
243  
244  
245  
246  
247  
248  
249  
250  
251  
252  
253  
254  
255  
256  
257  
258  
259  
260  
261  
262  
263  
264  
265  
266  
267  
268  
269  
270  
271  
272  
273  
274  
275  
276  
277  
278  
279  
280  
281  
282  
283  
284  
285  
286  
287  
288  
289  
290  
291  
292  
293  
294  
295  
296  
297  
298  
299  
300  
301  
302  
303  
304  
305  
306  
307  
308  
309  
310  
311  
312  
313  
314  
315  
316  
317  
318  
319  
320  
321  
322  
323  
324  
325  
326  
327  
328  
329  
330  
331  
332  
333  
334  
335  
336  
337  
338  
339  
340  
341  
342  
343  
344  
345  
346  
347  
348  
349  
350  
351  
352  
353  
354  
355  
356  
357  
358  
359  
360  
361  
362  
363  
364  
365  
366  
367  
368  
369  
370  
371  
372  
373  
374  
375  
376  
377  
378  
379  
380  
381  
382  
383  
384  
385  
386  
387  
388  
389  
390  
391  
392  
393  
394  
395  
396  
397  
398  
399  
400  
401  
402  
403  
404  
405  
406  
407  
408  
409  
410  
411  
412  
413  
414  
415  
416  
417  
418  
419  
420  
421  
422  
423  
424  
425  
426  
427  
428  
429  
430  
431  
432  
433  
434  
435  
436  
437  
438  
439  
440  
441  
442  
443  
444  
445  
446  
447  
448  
449  
450  
451  
452  
453  
454  
455  
456  
457  
458  
459  
460  
461  
462  
463  
464  
465  
466  
467  
468  
469  
470  
471  
472  
473  
474  
475  
476  
477  
478  
479  
480  
481  
482  
483  
484  
485  
486  
487  
488  
489  
490  
491  
492  
493  
494  
495  
496  
497  
498  
499  
500  
501  
502  
503  
504  
505  
506  
507  
508  
509  
510  
511  
512  
513  
514  
515  
516  
517  
518  
519  
520  
521  
522  
523  
524  
525  
526  
527  
528  
529  
530  
531  
532  
533  
534  
535  
536  
537  
538  
539  
540  
541  
542  
543  
544  
545  
546  
547  
548  
549  
550  
551  
552  
553  
554  
555  
556  
557  
558  
559  
559  
560  
561  
562  
563  
564  
565  
566  
567  
568  
569  
569  
570  
571  
572  
573  
574  
575  
576  
577  
578  
579  
579  
580  
581  
582  
583  
584  
585  
586  
587  
588  
589  
589  
590  
591  
592  
593  
594  
595  
596  
597  
598  
599  
599  
600  
601  
602  
603  
604  
605  
606  
607  
608  
609  
609  
610  
611  
612  
613  
614  
615  
616  
617  
618  
619  
619  
620  
621  
622  
623  
624  
625  
626  
627  
628  
629  
629  
630  
631  
632  
633  
634  
635  
636  
637  
638  
639  
639  
640  
641  
642  
643  
644  
645  
646  
647  
648  
649  
649  
650  
651  
652  
653  
654  
655  
656  
657  
658  
659  
659  
660  
661  
662  
663  
664  
665  
666  
667  
668  
669  
669  
670  
671  
672  
673  
674  
675  
676  
677  
678  
679  
679  
680  
681  
682  
683  
684  
685  
686  
687  
688  
689  
689  
690  
691  
692  
693  
694  
695  
696  
697  
698  
699  
699  
700  
701  
702  
703  
704  
705  
706  
707  
708  
709  
709  
710  
711  
712  
713  
714  
715  
716  
717  
718  
719  
719  
720  
721  
722  
723  
724  
725  
726  
727  
728  
729  
729  
730  
731  
732  
733  
734  
735  
736  
737  
738  
739  
739  
740  
741  
742  
743  
744  
745  
746  
747  
748  
749  
749  
750  
751  
752  
753  
754  
755  
756  
757  
758  
759  
759  
760  
761  
762  
763  
764  
765  
766  
767  
768  
769  
769  
770  
771  
772  
773  
774  
775  
776  
777  
778  
779  
779  
780  
781  
782  
783  
784  
785  
786  
787  
788  
789  
789  
790  
791  
792  
793  
794  
795  
796  
797  
798  
799  
799  
800  
801  
802  
803  
804  
805  
806  
807  
808  
809  
809  
810  
811  
812  
813  
814  
815  
816  
817  
818  
819  
819  
820  
821  
822  
823  
824  
825  
826  
827  
828  
829  
829  
830  
831  
832  
833  
834  
835  
836  
837  
838  
839  
839  
840  
841  
842  
843  
844  
845  
846  
847  
848  
849  
849  
850  
851  
852  
853  
854  
855  
856  
857  
858  
859  
859  
860  
861  
862  
863  
864  
865  
866  
867  
868  
869  
869  
870  
871  
872  
873  
874  
875  
876  
877  
878  
879  
879  
880  
881  
882  
883  
884  
885  
886  
887  
888  
889  
889  
890  
891  
892  
893  
894  
895  
896  
897  
898  
899  
899  
900  
901  
902  
903  
904  
905  
906  
907  
908  
909  
909  
910  
911  
912  
913  
914  
915  
916  
917  
918  
919  
919  
920  
921  
922  
923  
924  
925  
926  
927  
928  
929  
929  
930  
931  
932  
933  
934  
935  
936  
937  
938  
939  
939  
940  
941  
942  
943  
944  
945  
946  
947  
948  
949  
949  
950  
951  
952  
953  
954  
955  
956  
957  
958  
959  
959  
960  
961  
962  
963  
964  
965  
966  
967  
968  
969  
969  
970  
971  
972  
973  
974  
975  
976  
977  
978  
979  
979  
980  
981  
982  
983  
984  
985  
986  
987  
988  
989  
989  
990  
991  
992  
993  
994  
995  
996  
997  
998  
999  
999  
1000

VIRI MAXIME ET PLVRIMVM REVERENDI,  
AMICI, FAVTORES ET IN CHRISTO FRATRES  
AESTVMATISSIMI,

**A**d humanissimas et maxime benevolas illas salutationes, quibus sub muneri my aucticia a Vobis exceptus sum, tacere, nec gratia animi indicia, qualicunque modo, prodere, indecentissimum foret et a mea ratione alienissimum. Quemadmodum vero Vos, benevolentiam erga me Vestrarum, non solum scripto declaratis, verum etiam doctarum et elegantium dissertationum gratissimo munere exornatis; ita ego, ad Veltri aemulationem excitatus, non habere minus, quam referre Vobis gratias, gestio. Sane, quae a Vobis profecta sunt, ut lectores, mei honoris cupidos, suauiter adficiunt, ita et utilitatem habent omnibus communem, illos insituendo et in recta de rebus sanctioribus sententia confirmando. Quare et ego vehementer optarem, dum Vobis gratum animum significem et bona pro salute Vesta vota concipiam, in legentium simul aliquid adferre commodum. Quod, quanquam parum erit, tamen, humanissimi Fautores, boni aquique consuletis.

Non vero ex longinquo mihi querenda videtur scriptiunculae materia, cum in promptu sit, quae nos omnes quam maxime attineat, et cuius ansam Vestrae adeo ipsae lucubrations mihi praebeant. Meministis enim uterque, Heringi et Mudreii, Viri doctissimi, status, qui iam est, ecclesiae nostrae Evangelicae, ubi oraculorum divinorum auctoritas labefit, doctrinae Christianae levidenzia praecepta ethica atque adeo Comoediae concionibus nostris sacris, praeferuntur, Mysteriorum veneratio obsolecit, imo tota a Christo usque ad patres nostros propagata et in summo honore habita religio, despectui habetur. Quod damnum illi quoque sentiant, necesse est, quorum munus circa ecclesiam versatur, quique in explicandis eloquuis divinis et Sacramentorum administratione occupati sunt. Qui, nisi

lepidam illam duplicem methodum calleant, ut in scriptis et coram sui similibus se nihil eorum, quae doceant, faciantue, credere profiteantur, plebem autem, ut putant, superstitionem, ratione adhuc consueta, in sinu gaudentes, erudiant; omni subsannationum et vituperiorum genere adficiuntur.

Bona tamen res est. Nimium contemnendi sunt, qui nubeculas illas cito transiituras in ecclesia excitant, Satis magnus eorum est numerus, qui, Deo adiuvante, de doctrina coelesti recte sentiunt, eiusque praeconibus iustum statunt pretium. Nec illi sunt ex plebe tantum; sed ex illustrissimorum ordinum hominibus; imo illi omnes, qui cum virtute et honestate morumque puritate, rerum scientiam interiorem coniungunt; ut adeo spurcites et supina ignorantia, eius, de qua diximus, profanitatis, individualis comites videantur. Certe omnis fex hominum, omnes fallarii et benefici, omnia scorta et prostibula, illam, quae hodie cuditur, religionem, sive potius religionis contemptum, malint, quam quae in Cathechismo nostro contenta est. Vnde mirificam laudem habent religionem ad temporum nostrorum, perversissimis hominibus scatentium, rationem, accommodantes; tandem, ni fallor, ad latronum quoque rationes quam proxime accommodaturi.

Placuit igitur de amplitudine muneris ecclesiastici sacri quaedam proferre, ubi docebimus, quo loco habeantur hodie et quo honoris gradu constituantur, qui in ecclesia sacrif funguntur, vestigia patrum et orthodoxiam sequentes; deinde qua ratione muneris dignitatem auctoritatemque obtinere possint. Vbi hanc nobis praescribemus regulam, ut rem, quomodo nunc est, consideremus, et patrias nostras, Saxonias, statum praecipue ob oculos ponamus, de aliis infeliciaribus terris, e quibus venenatae herbae liberius crescunt, parum curiosi. Ita forsitan occasionem nanciscemur, admonendi quaedam, unde confirmationem et consolationem animi capiant boni et fideles ecclesiarum pastores, juniores vero, quo entendum, quo tramite ingrediendum sit, videant.

Difficilis est illa quaestio, utrum bene consuluerint ecclesiae; nec ne, qui fere a tempore reformationis, inde fustulerunt omnem illam amplitudinem, splendoremque illum, qui etiamnum adhaeret inter Romano-Catholicos, Episcopis et superiorum ordinum clericis. Qui partim sunt ipsi terrarum domini, omni principali dignitate fulgentes, partim ea opum affluentia gaudent eoque honoris fastigio sunt collocati, ut illustrissimo vitae genere utantur. Sed ut dicam, quod res est, hi omnes inter ecclesiasticos

sticos referendi proprie mihi non videntur. Quippe docere et instituere ad salutem aeternam populum, curam animarum gerere, publicis praesesse conventibus, religionis causa habitis, peccandi licentiam verbo divino coercere, solatium animis exinde instillare, sacramenta non ad externam aliquam pompam, sed ad fructum sanctitatis dispensare, aegrotos in leuamen animi visitare, moribundis piis precibus adfistere; haec demum mihi videntur continere partes munera in ecclesia sacra. Quae omnia non sunt a magnis illis principibus splendidisque episcopis, ne in reformato quidem, paucis exceptis, Anglicana ecclesia. Gubernant potius illi ecclesiam, ut nostrarum regionum principes per Consistoria facere solent, in externis occupantur, non internis; magistratus sunt, non sacerdotes. Quodsi vero respicias ad illos, qui in Romana quoque et Anglicana ecclesia, curam, quam vocant, animarum, proprie agunt, eos non in tanta externa dignitate conspicias, qua supra nostros pastores longe emineant; sed obscurantur potius, fulgore superiorum ordinum, minora haec lumina. Nescio igitur, quid inter nos ordo facer a temporibus inde reformationis, ex amplitudine sua amiserit, si eos modo referas illuc, qui iure meritoque illum constituant, animarum pastores, seu verbi divini ministros.

Num vero istorum hodie quoque inter nos sit aliqua dignitas, sive munera ipsius naturam, sive hominum existimationem species; paucis erit discipiendum. Ac primo quidem totum eorum officium circa res honestissimas, imo sanctissimas maximique momenti, quae unicuique in primis curae cordique esse debent, versatur, neque fieri potest, quin inde veneratione aliqua suscipiantur. Complectamur omnia verbis Apostoli, qui munera sui rationem sic exprimit: Υπὲρ Χριστὸν πρεσβέτερον. II. Cor. 5. v. 20. Legatorum certe persona sacrosancta habetur, et qui principis seu regis terreni legatione funguntur, eius, a quo missi sunt, imaginem quasi exhibent, eoque multo eminentiore dignitate gaudent, quam si privati homines essent. Quo magis autem, quae in mandatis habent, ex voto sunt, et salutem populi, apud quem versantur, contingunt; eo maiori pompa excipiuntur. Quid ergo dicamus de legatis Christi? Nonne ille est rex regum et supremus terrarum coelique dominus? Nonne ille est filius Dei, supremum aeternumque numen? coram quo omnis alia majestas evanescit et pro nihilo reputanda est? Ille vero ita inter homines se manifestavit, et etiamnum vi spiritus sui et iudicis se suis manifestat, ut difficile sit, neque in eum credere, neque eum timere, quod utrumque pertinet ad honorem legatorum ipsius. Cui quidem ille singulari quodam modo pro-

spexit, quando dixit: 'Ο δεχόμενος ὑμᾶς, ἐμὲ δέχεται· καὶ ὁ ἐμὲ δεχόμενος, δέχεται τὸν ἀποστόλαντά με. Quibus verbis evictum est, Christianum velle, quandam sui imaginem agnosci in legatis suis, quandam maiestatem suam iis adhaerere, seque honorem ipsis exhibitum, pro suo reputaturum esse; illi vero si respuantur, non aliter accepturum esse, quam si respuerit ipse. Imo declarat servator optimus, quo loco ipse, filius unigenitus, habeatur a patre suo coelesti, eo loco etiam habiturum oratores suos ad homines, sive verbi divini ministros. Quod etiam multis aliis locis inculcat, et tum promissum, tum conminationibus gravissimis, munit. Quare etiam Apostoli nullum aliud praesidium, nullum aliud maius ornamentum agnoscebant, quaerebantve, praeter hoc unum, ut legatione Christi ad genus humanum fungerentur. In quo hoc etiam cernebant splendidissimum, quod sibi mandatae essent res longe maxima et uberrimos fructus mortalibus allatura, universam aeternamque eorum salutem parturae. Quandoquidem nihil minus agebant, quam ut a summa labe et infamia superstitionis genus humanum liberarent, tyrannidem enormium viatorum, quaqua dominantium, confringerent, veritatem et iustitiam, Dei cognitionem Deique beneficia, imo Deum ipsum, summum bonum, hominibus restituerent, pacem et securitatem per universum terrarum orbem flabilirent, certa et firma et efficacia solamina animis adferrent et, ut paucis omnia complectiar, coelum recluderent. Quo quid glorioius excogitari possit, ego nescio. Adferant alii legati miseris terris pacem, ineant saluberrima foedera, firment folia imperantem contrahendis exoptatissimis connubiis; parum hoc erit, si cum iis conferas, quae Apostolis commissa erant, et quae commissa sunt, et hodie, legitimis illorum successoribus.

Videtis, Exoptatissimi fratres, qui noster honor sit, qui a munere nostro, quod hanc ob rem sanctum et sacrosanctum vocatur, divelli nulla ratione potest. Unicus ille est, plane unicus, qui a Christo Iesu, domino et capite nostro, ad nos derivatur. Cuius in legatione si fideles sumus, ut eloquia eius, quam accuratissime et castissime fieri potest, nihil addendo, nihil demendo, populo annunciemus, ut studio summo officium nostrum impleamus, ut bonum, quocunque possumus, praestemus et efficiamus; tunc certe non est, quod de honore nostro amplius sumus solliciti. Quid ultra volumus, quam summo et benignissimo Domino, Christo, rerum omnium arbitrio, rite et ad promovendam fratrum nostrorum aeternam salutem, servire, cruce et mortem et vitam eius coelestem annunciare, et quae hac salutifera cruce et morte et vita parta sunt, curare, ut ad coetus nostros perveniant.

veniant. Quodsi in hac professione despectissimi essemus mortalium apud multitudinem, tamen re vera essemus honoratissimi. Etsi reputaremur cum Apostolo περισσαθέματα τῇ κόσμῳ, πάντων περίψυχα, 1. Cor. 4. v. 13. tamen essemus gloriosissimi. Quodsi ignominiosa mors nobis perferenda esset; tamen triumphum ageremus. Quodsi nomen nostrum abominarentur, ut maleficorum, tamen floreret illud et coruscum lumine fulgeret. Nam quae divina et aeterna sunt, cogitare debemus; non quae terrena et cedula. Illa dies ante oculos nobis verfarri debet, in qua revelabuntur et compensabuntur omnia, et cuique rei iustum statuetur pretium; in qua Ieses bonos et fideles suos servos aeterna gloria condecorabit. Misere igitur errant et falluntur, qui laudem quaerunt non nisi apud homines, nec illam quidem perennem et ad posteritatem duraturam, sed momentaneam apud coaeuos suos, levi aurae similem et cum vituperiis recte iudicantis posteritatis redimendam. Quod fieri puto ab iis omnibus, qui, ut celebribus quibusdam viris, idolorum instar habitis, placeant, et in Ephemeridibus nonnullis, usu frequentiore tritis, censorum favorem experiantur, orthodoxiam suam dissimulant et genio saeculi indulgent. Quid vero, si veritas regnum suum, iam undique impugnatum, rufus pacaverit, quid miseris istis fiet, qui nunc stant ex adversa parte et collidunt cum hostibus? Qui contentus, quae ignominia illos expectat?

Satis ex dictis apparebit, non tam male consultum esse honori ministrorum verbi divini fidelium, et si nostris temporibus totus orbis adverseretur doctrinae coelitus revelatae et Ecclesiae ad normam Christi institutae. Sed num ita se res habet in nostris praecipue, de quibus mihi sermo est, regionibus? Num ibi nemo, praeter plebeculam imperitam, Christianus est? Num omnes nescio quam morum doctrinam ex Epicteto haustram, pro via ad salutem aeternam agnoscunt? Num omnes ex scriptura sacra Evangelium sive doctrinam de gratia Dei per Christum, eradunt? Num omnibus pares et aequales habent Christus et Socrates? Absit, ut hanc inustam putemus nostris terris maculam! Absit, ut hoc timeamus! Qui aliquem usum habent illustrium et nobilium hominum, magnam partem eorum deprehendent, qui iusta reverentia verbum Dei amplectantur, Christo vera fide adhaerant, auxilio Spiritus S. in exercitio virtutis versentur, instituta divina, quae Sacramenta vocamus, summo cum desiderio expantant, et, uno verbo, τῷ ἀνθρώπῳ sapient. Bene illi intelligent, quod si moderator animorum non alius esset, nisi, qui de praeceptiunculis honestae vitae admoneret et orationibus ex illis componeret, etiam ex scribis suis et famulitio talem sibi posse



posse eligi, nec opus esse sacerdotali quodam ordine. Qua propter etiam experientia docet ubi aulae sunt principum doctrinarumque universitates, in maximis, inquam, urbibus, ad illas homilias ingentem hominum confluxum in templis fieri, illasque lubentissime audiri, in quibus proprie sic dictum Evangelium, a Deo revelatum proponitur, quo cum vis Spiritus S. quae supra naturam est, se conjungit et in cordibus audientium quam efficacissime operatur et fructus uberrimos poenitentiae, confidentiae, amoris, patientiae, solatii, spei profert. Qum contra illi, qui, quamvis ingeniose et ornate, de sola honestate et pulchritudine virtutis et felicitate inde capessenda, ex suggestu sacro sermocinentur, postquam bis, terve auditu sint, deserantur. Nam haec est mera humana loquacitas, expers virtutis coelestis, sine qua animus neque impletur vera pietate, neque accenditur. Quae cum ita sint, sole clarius apparet, muneri nostro etiam hodie dignitatem suam constare. Reverenter habetur bonus sacerdos ab illustrissimis viris. Aditus ei patet ad aedes magnatuum. Liberaliter ab illis excipitur. Sermonem de sanctioribus et aliis rebus doctis libenter cum illo miscent. In rebus, quas sibi religioni ducunt, sedulo eum consulunt. Fortunae adversitate afflitti ab eo erigi cupiunt. Aegrotantes eum desiderant et instructioni eius placidas aures praebent, precibusque secum factis, solamen experuntur. Vnde fit, ut etiam emolumentis externis, ministris verbi divini a magistratibus et nobilibus, prospiciatur, ut iis commodas aedes strui curent, ut officia eorum large et liberaliter remunerentur, ut eos a subiectorum ipsis rudium pertinacia tutos collocent, et bono exemplo ipsi praeceentes, amorem et reverentiam inferiorum et totius coetus illis concilient. En amplitudinem ministerii sacri hodiernam, aliquatenus adumbratam! Quam ut obtainere possimus, quaedam a nobis sunt tenendae regulae, quas deinde breviter delineabimus.

Nimirum nihil certius est, quam qui in ista amplitudine non versentur, sacerdotes, ut plurimum culpam tribuere debere aut sibi ipsis aut aliis, qui vel antea idem imitus curarint aut in vicinia adhuc curent. Liceat proferre, quod mihi variis in locis vitam progressu temporis degenti observatum est. Fui in aliqua urbe, ubi hoc vel illud vitae genus erat valde honoratum; aliud minus. Veni in propinquam urbem, et hic, quod in altera despectum erat, in honore habebatur; nulloque plane in pretio erat, quod in priore coluerant. Coepi cogitare, unde haec diversitas esset? nec ullam aliam causam potui inventare, praeter hanc quam confirmavit experientia, quod unius eiusdemque professionis homines in altero oppido

oppido decore et moderate et in opulentia quadam vivebant et ad hominum memoriam forte vixerant; in altero autem levibus et perversis erant moribus, qui paupertatem plerumque habent comitem. Ita etiam tempora ipsa variant, ut idem ordo, qui in superiori saeculo fuerat amplissimus, in nostro vilipendatur, non propter se; sed propter humilitatem et indignitatem eorum, qui illum constituant. Quapropter et videoas, ut, qui honori ordinis sui, quicunque ille sit, prospicere velint, in eum non cooptent, si optio data sit, nisi viros graves, honestos, claros et in aliquo genere praecipuos. Dixi haec eum in finem, ut evincerem, quae supra indicavi, nostrum scilicet esse et a nostris studiis et moribus et universa vivendi ratione dependere, ut amplitudinem, quae cum sacro nostro ordine ex instituto divino coniuncta est, tueamur, vel si aliqua ex parte neglecta sit, recuperemus et sic ad posteritatem propagemus. Quod non tam nostri causa faciendum erit; quam in Dei honorem, et quoniam tunc demum plurimos et felicissimos fructus operae nostrae expectare possumus, si bene de nobis existimant homines.

Hic vero primo loco mihi nominanda venit vitae integritas et sanctitas et ab omni scelere puritas. Ita enim Deus aeternis suis legibus, quorum conservator et tutor est, virtuti prospexit, ut nemo sine dedecore peccare possit. Quemadmodum igitur lordes, avaritia, fraudes, obscoenitas, ebrietas, fastus et reliqua vitia omnes eos deprimit et contentos reddunt, qui illis se dediderunt, et si excuso gradu sint constituti et summis in republica dignitatibus ornati; quanto magis dehonestabit et contaminabit impura et perversa vivendi ratio sanctitatis praecones, sanctissimi Dei nuncios, sanctissimarum rerum administros? Nihil contra animos hominum magis capere et suavius adficere, imo in sui admirationem rapere valet, praeter virtutem, quam, si tu constanter in te ostendas et exerceas, in quo demum statu sis, supremo sive infimo, omnium venerationem consequeris. Hac via doctores veteris ecclesiae ad id fastigium auctoritatis pervenerunt, quo eos pervenisse, vix credibile videri possit. Tam devoti Deo erant, ut precibus, quibus dies noctesque insumerunt, quid vellent, efficere posse putarentur. Tam iusti, ut omnes, adeoque pagani ipsi, magis ex eorum sententia pendere, quam a iudicibus ordinariis lites suas dirimi vellent. Tam demissi ut omnibus admirationi essent eo que libentius colerentur. Tam benefici et misericordes, ut ab ipsis, qui sua omnia in pauperes erogarent, unusquisque speraret auxilium. Tam malorum patientes, ut nulla adversa fortuna, nullis doloribus, vinci possent.



possent. Tam fortis, ut nulla pericula, neque mortem ipsam, si officii ratio sic postularet, fugerent. Vnde celebre illud sanctorum nomen adepti sunt, cuius tanta fuit veneratio ut deinde cultum supersticiosum involverit. Quanquam libenter concedimus, nonnullos dolo et hypocrisi usos esse, ut ad magnitudinem illam episcopalem et pontificalem sacerdotium evehent; pro certo tamen mihi constat, hoc magis sequentibus temporibus factum esse, quam primis, ubi tamen, et quidem saeculo p. C. N. primo et secundo, iam magna doctorum ecclesiae fuit auctoritas. Haec solo virtutis et sanctitatis fundamento nixa, incredibilia deinde incrementa cepit, adeo ut essent, qui sanctitatis suae reverentia totum fere terrarum orbem regerent. Inter quos memorabilis est clarissimus ille Claraeavallensis Abbas, S. Bernhardus e duodecimo saeculo, cuius ad nutum imperatores et reges pacem bellumque inierunt, principes sceptralia vel sumiserunt, vel deposuerunt, concilia ecclesiae coacta sunt et prohibita, causae episcoporum in Occidente et Oriente cognitae, pontifices Romani electi, imo ab eo saepius correcti et severius castigati. Miratus et in stuporem interdum raptus sum, quam epistolas singularis huius viri legerem, in quo experimentum quasi factum est, quid sanctitatis fauna efficere possit. Certe unusquisque experietur, se eo plus valere, eo maioris auctoratis esse, quo severior et incorruptior sit moribus.

Videntur autem praecipuae quaedam virtutes nobis prae aliis commendandae esse, inter quas eo libertius primo loco pacis studium nomino quoniam intellexi, illud in me animadversum, praecipue movisse amplissimum senatum Freybergensem, ut ad sacerdotium huius urbis primarium me admoveret. Rixae et iurgia haec duo in primis incommoda habent; alienant exacerbantque animos non eorum solum, quibuscum rixamur, sed quoque, qui auditores, spectatoresque adstant: Alterum est, quod ignominiam semper pariunt. Adversarius quippe tuus semper aliquid in promptu habebit, quod tibi, si non vere, tamen cum aliqua veri specie obiciere possit, et licet hae merae essent calumniae, tamen macula quaedam inde tibi inhaerabit. Tanto magis autem cavendum est, ne in dissidia incidamus cum aliis ex nostro ordine; sive eodem loco nobiscum vivant ut sit in urbibus; sive sint ex vicinia. Hoc enim, quam noxiun sit, quantopere fructuosam officii nostri administrationem impedit, quantopere offendat, nec non saepe in contraria partes trahat illos, quibus ad pacem et mansuetudinem duces esse debeamus, verbis non potest dici. At ob*iiicis:*

ūcis: Quid faciam, quantumlibet pacis studiosus, ubi lacestor, ubi iniuria adficior, ubi damnum contra ius et aequum mihi infertur? Explicabo tibi meam rationem, cuius satis gravem auctorem habeo, immortalem illum et mansuetissimum Philippum Melanchthonem. Cuius loca nonnulla, tolerantiam iniuriarum, quae in ipso fuit, indicantia, ex epistolis eius ad Io. Camerarium, ubi plurima sunt, exscribam. Sunt vero haec testimonia eo maioris facienda, quoniam loquitur ad intimum amicum, cui totum pectus retegit imosque sensus pandit. Ita vero ille: θαυμᾶς noster nuper ad me, cum quidem probet meum consilium, tamen contumeliosissimas litteras scripsit. Sed ego Fabianam illam dissimulationem, quantum potero, retinebo, de qua ait poeta vetus: Non ponebat enim rumores ante salutem. Nullae iniuriae, nullorum importunitas, me ab hac moderatione abfrabat, qua aliquot iam annos uti conatus sum, nec privatas ullas offensiones cum reip. incommodo ulciscar. p. 259. Cum cogitarem, satis esse, culpa vacare, nec me praeflare vulgi sermones debere, facile deposui omnem ex animo molestiam. Estque mibi postea δέρεγος πλῆσ, sicut Aristoteles praecipit, institutus, ita ut primo illo animi impetu represso, statuerem, nihil adversus inimicum vehementius esse faciendum, planeque uti me ei purgassem, si nollet mecum in gratiam redire, ipsum contemnendum. Hoc ego consilio clementius ad eum scripsi, malimque sanari eius animum quam, quod est in proverbio, crabronem irritari. p. 56. Quod autem sermonibus et scriptis meis aliquos ostendis abuti, et scio, loco bene dicta detorquendo in meam perniciem convertere, et non incommode alicubi disputata in deteriore partem interpretando pervertere: Ad haec mibi est in animo ex Psalmo istud: Quid detur tibi aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Sagittae potentis acutae cum carbonibus desolatoriis, seu Juniperorum. Quae quidem, ut metuo, sagittae aliquando post infestus conficiunt et carbones illi aefluabunt vehementius. Ego vero orabo. Et si attingent me ista mala viventem, perpetiar, sicut hactenus feci, inimicorum et malevolorum alapas. p. 634. At quantus vir est ille noster Philippus, non propter merita solum, sed propter animi quoque indolem, ad omnem posteritatem unice clarus! Ille quidem hac sua moderatione non solum famae suae non nocuit; sed mirifice potius consuluit. Cuius exemplum ita me quidem adfecit, ut centies primo, ubi alii me laesum esse, clamitant, ego, omnia in meliorem partem interpretando, laesionem mihi factam nullam, animadvertissem; deinde acerbas quoque offendas dissimilem, ac, si nihil inde rescivissem, me geram, ne dissidia inde oriantur



tur multis nocitura; quod puto et praecipit servatoris nostri mansuetissimi esse contentaneum, et ad concordiam facere, et maiorem laudem, quam vindictae cupiditas, apud intelligentes et aequos iudices, parere.

Est alia quaedam virtus, quae personam nostram quam maxime deceat, gravitas, quae efficit, ne nos ipsos ullo modo contemnos reddamus, et ut ii, qui consuetudinem nobiscum habent, reverentiam aliquam, cum amore coniunctam, erga nos concipient. Illa vero non tantum consistit in ingressu et habitu corporis et vultu bene composito; plura sunt, quae hoc pertineant. Lepori, urbanitatique et iocis certi quidam limites sunt ponendi, ne in scurrilitatem degenerent, providendumque, ne apud viliores ita te remittas, ac si cum paribus essemus, apud incognitos, ac si cum amicis versareris, apud iuuentutem, ac si seniores tibi adstarent. Evitanda deinde est omnis nimia familiaritas, quae, sicut in proverbio dicitur, contemptum parit. Fugienda sunt loca, ubi homines eo confluentes, omnia sibi licere, existimant. Inferiores suo modo sunt tractandi, ne importunitis eorum moribus frenum relaxetur, ne obtemperare dediscant, ne, in suspicionem adducti, hanc nimiam nostram demissionem luci fortasse ex iis capiendi causa fieri, nihili nos pendant. Obtinenda est auctoritas contra omnes, qui infringere eam et statum publicum perturbare malint. Insistendum est proposito, ne, quod sapienter conclusimus, qualicunque interveniente impedimento, rursus abiiciamus, unde levitas in nobis animadverteretur; nec homines, in quo confidere de nobis possent, haberent. Quippe in firmitate et constantia animi praecipue cernitur gravitas. Quae tamen virtus ab omni rusticitate tam longe absesse debet, quam ab alto supercilium et pertinacia invicta.

*Propterea ἐπὶ πᾶσι (ἐνδύσαθε) τὴν ἀγάπην, ἥτις ἐστὶ σύνδεσμος τῆς τελεότητος.* Coloss. 3. v. 14. Quis non in honore et obsequio habeat, cuius benevolum et paternum erga se cognoscat animum. Ostendat igitur verbi divini minister, omnes suae curae commissos sibi esse charissimos, infinitum se illis pretium propter Christi sanguinem statuere, toto se animo, ut illis bene sit, et in aeternum bene sit, cupere; Re factisque prodat, se dolere, si quis suorum damnum perperclus sit, aegrotet, propinquos morte amiserit; immensum dolere, quando aliquis aeterna salute periclitetur, ovis ex grege perdita et inferis devota sit; Palam prae se ferat, quanta laetitia adsciat, si contigerit ipsis, esse tam felici, ut molestias a suis amoveret, similitates inter illos sopiret, amicos oppressis, bene-

benefactores miseris, ope sua conciliaret, errantes in rectam viam deduceret, precibusque ad Deum, ut quam plurimi salvi essent, efficaret; Quid inde fiet? Nonne omnes ut amicum, ut patrem, eum venerabuntur? Num quis erit tam ferus, tam ferreus, ut eum vilipendat? Fingo mihi animo bonum illum pastorem, qui plura per lustra gregi suo tali modo praefuit. Senes norunt et liberis nepotibusque narrant, quae comoda ex eo percepérunt; iuniores illo moderatore ad pietatem sanctosque mores educati et manu quasi eius ad Deum adducti sunt. Saepius cognoverunt, quam salubria ipsis essent eius consilia, et quanto cum detrimento ab illis repudientur. Intellexerunt, quo pertinerent castigations eius. Quam efficaci solatio eos in rebus adversis erigere posset, experti sunt. Egeni se vel liberalitate vel cura eius mirifice sublevatos sentiunt. Exemplum sanctitatis, quod a pueris intuerentur, omnes in eo habuerunt. Iamque, ubi incedit ille, augustior quidam homine, incedere videtur. A vultu eius pendent incolae, tacito gaudio, quos alloquitur, quos intuetur, perfunduntur. Bene apud illum audire, summa est ambitione. Si qua urget eum calamitas, omnes accelerato gradu aduolant, ut sublevetur. Morbo ubi periclitatur; universae domus suspiriis et lamentis resonant. Lacrymis et gemitibus implentur templa, dum publica pro salute eius vota fiunt. Morte sua multi vitam eius redimenter. Tandem stadio gloriose decurso discedit. Attoniti stant omnes ad nuncium decessus, et ubi pompa funebris solenni moestitia deducitur, unus omnium est planctus, senum cum pueris puellisque aequalis lamentatio et eiulatio, aeternum apud omnes desiderium, aeterna ad posteros memoria.

Spero, Vobis non ingratum fuisse, Fratres honoratissimi, quod in aliqua quasi tabula depinxerim honorem, ad quem sanctitatis et virtutis studio pertingere possumus. Sed alia quaedam sunt addenda, quae ad amplitudinem nostram non parum facient. Quemadmodum enim ad pulchritudinem non sufficit, ut membra sibi bene congruant, sed decus quoddam et venustas etiam requiritur, neque adventicia cultus ornamenta abesse debent; ita nos pariter, ut diversis ingenii placeamus et, quantum fieri potest, omnium suffragia feramus, aliquo modo exornati simus, necesse est.

Praecipuum vero, de quo loquor, ornamentum est vera eruditio, quae linguarum cognitioni et literis humanioribus superstructa, ad multiplicem deinde progreditur scientiam. At erunt, qui obiiciant, clericum doctrina



non adeo opus habere, et posse aliquem utilem, praesertim in pagis, pa-  
forem esse animarum, quamvis litterarum artibus non excultus sit.  
Quamvis linguam utramque sacram non calleat, antiquitatis monumenta  
non perlustrarit, rerum tam in civitate quam in ecclesia gestarum rudis  
sit, ad philosophiae adyta non penetraverit, eleganter dicendi scribendive  
regulas non didicerit; posse nihilominus illum recte intelligere, quae ad  
religionem Christianam pertineant et ad salutem aeternam consequendam  
sunt necessaria, posse quoque haec communicare cum imbecillioribus.  
Non contra pugno. Sed unum quaero. Quid hic, qui litterarum tam  
expers, officium sacrum administrat, in annis iuventutis, ad viceustum,  
egit? Num in agro greges pavit? Num agriculturae servitia praefluit?  
Num in officina fabrili sive textoria artem exercuit? Responde; Nihil  
istorum. Quid igitur? Scholam obiit. Ah paeclare! scholam per quin-  
decim et plures annos frequentavit et tamen litteras non didicit et tamen  
veterum linguarum et ingenuarum artium plane rudis mansit? Incipit  
mihi placere homo, qui tempore suo tam gnaviter usus est. Incipit mihi  
placere hominis assiduitas. Hic enim per tot annos aut omnino dormie-  
rit, necesse est, aut nugis et pessimis nequitis tempus perdiderit aut per-  
quam stupidi paeceptoribus adfederit. Elige, quodcumque velis, et mi-  
fere de honestabit sacrum munus; et ut in discedo fuit, ita et in docendo  
erit desidiosus et negligens. Cui suum credi non poterat, quomodo  
aliena illi credantur? Longe aliter comparata est eorum ratio, qui do-  
ctrina elegantiore et multifaria exculti ad ministerium nostrum accedunt,  
in eoque ut thesaurum acquisitum indies augeant, ut lectione, medita-  
tione, scriptione, scientiam suam amplificant, elaborant. Nihil dicam de  
utilitate, quam inde in officio suo sentiunt, cum firme quodam gressu  
per omnes eius partes incedant et suis oculis cernant, ubi caeteri in tene-  
bris palpitent: De ornamento tantum loquor, quod hi et sibi ipsis et toti  
suo ordini parant. Doctus enim nemo erit, quin idem, certe apud pru-  
dentes, in honore sit. Et hoc valet etiam ad adversarios imo ad hostes  
contemtoresque omnis religionis. Nemo ex Pontificiis Moshemios, Pfaf-  
fios, Boernerios nostros, nisi valde honorifice, salutavit. Et ut unum  
ex nostris temporibus exemplum proferam, omnes illi irrisores divi-  
nae revelationis, qui Berolini degunt, Silberschlagum venerantur suspi-  
ciuntque propter profundam in rebus physicis et mathematicis, scientiam.  
Sic accidere solet interdum in pagis, ut Dynasta divinum cultum /pa-  
rum curet. Sed habet parochum ad omnem litterarum elegantiam for-  
matum.

matum. Huius sermones eloquentissimos ut audiat, frequentat templum, quod alias neglexisset. Ut doctis eius colloquiis tempus iucundo quodam modo fallat, adit eum domi. Ut de illo glorietur, evocat eum ad se quando domum hospitibus plenam habet. Ita sensim oritur consuetudo, qua doctus ille sacerdos preaclare utitur, ut sensu eum imbuat meliori et religiosum Dei cultorem eum praefet, quod fane absque his doctrinæ quasi illecebris factum non esset. Quid multa? nihil, post sanctimoniam, ordinem nostrum magis ornat, vera eruditione. Quam diu inter nos doctorum virorum numerus fatus magnus erit, non timebimus, ne honor noster pereat. Qui vero in amplitudine quadam versari volumus, ne negligamus litteras! Ne quaeramus, quem fructum inde capiam? Non Hebraice, non Chaldaice concionari deboeo. Rusticis meis Homero et Cicerone non consulitur. Non illi Crusianam philosophiam intelligent. Non illi contra Arium et Macedonium, contra Socinum et Spinozam disputabunt. Pigritiae hoc velamentum, ignorantiae praetextus est. Nos vero in id sedulo incumbamus, ut, quae in scholis feliciter incepimus, in Academiis felicius continuavimus, pari cum felicitate in publico munere perficiamus. Vacuae horae nobis non semper deerunt. Oblectamenta vitae hac ratione, in ipsa solitudine, nobis non deerunt. Et si incitaentis ad doctrinarum studia egeamus, quandoquidem in loco nostro vel pauci, vel nulli sint, qui ea aestiment, cogitemus ea, quae hucusque dicta sunt, quantam dignitatem nobismet ipsis ordinique nostro adferant. Nec scire possumus, quando lumen illud, quod sub modio quasi latuit, in publicum produci debeat, quando inquam divinae providentiae placeat, ut ampliorem illam, quam paravimus, doctrinam, in ecclesiae emolumendum singulare conferamus et eiusmodi admoveamur muneri, cui absque copia quadam doctrinæ, honeste satisfieri non potest! Nec ullum doctrinarum genus est, per quod non ad laudem et famam adspirare possimus. Ita beatus noster Gründigius, cuius memoria nobis omnibus venerabilis sit, et si in caeteris etiam erat doctissimus, rerum tamen fossilium cognitione praecipue, in qua totus erat, nomen in orbe eruditio nactus est, quod tanquam singulare ornamentum ad Spartam suam attulit, eoque effectit, ut non solum nos, qui alias eius virtutes cognosceremus; sed exteri quoque graviori muneri aptissimum eum iudicarent. Ut varii florum colores sunt, quorum quilibet pulcher est; ita multa sunt artium et scientiarum genera, quarum quaeque decore suo enitet et nos, illarum cultores, splendore suo illustrat.

Quantum



Quantum externa valeant ad existimationem pariter atque despectum alicuius, nemo est, qui ignoret. Miseros equidem iudico, qui in pretiosis vestibus, magnifica domus supellecibile et eiusmodi aliis, suam prae reliquis eminentiam quaerunt, et immundicam in res istas pecuniam impendunt. Nec latet veritas proverbii: Pallium non facit Philosophum. Nihilominus et squalorem cynicum odi, et videtur mihi in his rebus quaedam animi imago exprimi, ut quem decentia, nitor, puritas, oblectat, mihi sapientior videatur illo, qui in fordinibus sibi placet. Sed sit, ut opinionibus vulgi in ipsis serviamus, dum modo consequamur, quod volumus, et ex rebus ipsis minutis aliquid ad amplitudinem nostram accrescat. Maius vero est hoc, ut res domestica bene sit constituta. Namque, qui sua culpa et negligentia pauper est et aere alieno obrutus et foeneratorum iniuriis expositus, non habet, quod de contemptu hominum queratur. Debemus et in hoc exemplum nos sistere gregibus nostris, ut prudentes et fideles oeconomi simus terrestrium honorum. Nec dici potest, quantum in munere rite gerendo impediantur, qui in eorum aere sunt, quos corrigeret et in ordinem redigere deberent. Si contra, accurata rei familiaris administratione, pro nostro, in quo vivimus, statu, ad quandam opulentiam pervenimus, tunc in quadam quasi celebritate versamur; et, quod multo potius est, tenuioribus subvenire possumus, remedium ferre egentibus et largioribus beneficiis pauperibus occurtere. Quae beneficentia singularem ordini nostro commendationem adfert. Non melius autem his rebus omnibus prospici potest, quam prudenter inito matrimonio. Quapropter hanc praecipue regulam scriberem omniaibus, qui ad ministerium nostrum accedunt, ut uxorem sibi feligant qualem depingit Salomo, Prov. Cap. XXXI. Saepè sane accedit, ut viri honos mulieris virtute tum sustentetur, tum amplificetur.

Quemadmodum autem aedificium perfici non potest, si alter diruit, quod alter exstruxerat, ita et nostra existimatio nunquam obtinebitur, si alius alium deprimit, fugillat et lacerat, quasi putet, alterius contemptum fore fundamentum, quo suum applausum superstruat, et quo plus alter ex dignitate perdat, eo magis se lucraturum. Vidi ego collegia, quae supra expectationem in reverentia haberentur et animadverti, collegas a praeside, usque ad novissimum ut quam maxime concordes vivere, omnes de se invicem quam honorificentissime sentire, unus si offenderetur, reliquos omnes iniuriam sibi illatam vindicare, praefidem cunctos, cunctos praeside, extollere et singulos de singulis magnifice praedicare. Vidi autem et collegia,

legia, quae nulla auctoritate, ne apud subiectos quidem, gauderent. Vnde hoc? quia alter alterum ignominiose tractabat, quia hic illius, ille huius vitia in lucem protrahebat, quia se invicem ad unum omnes in contemptum adducebant. Qua propter saepius cogitavi, si perfecta inter nos concordia instauraretur, si alius alium, ut par est, revereretur et coleret, si lites nostras non ad judices minus competentes deferremus, si dissensiones nostras non ad plebem divulgaremus, fore, ut multa dignitate apud coeteros fruamur.

Quidni autem, si commune nostri ordinis commodum omnibus omnino curae cordique esset, unus et alter nostrum aliquando occasionem nanciseretur, ita quoque amplificandi eum, ut melius dotaretur et legata scriberentur ecclesiis, unde eorum ministri honestius viverent? Debet interdum aliquis ex vivis, relinquens post se divitias, nec tamen, cui relinquat, habens, quare illae litibus diripiuntur ac pereunt. Quod si ille a pastore suo in tempore monitus fuisset, bene facturum illum et laudabilem memoriam habiturum ad posteritatem, imo Deo placitum, si de suo aliiquid in clerum conferat et paupertati ecclesiae legato succurrat, forsitan ille commotus esset, ut liberaliter se praebuisset. Sed inter nos ipsos quoque sunt nonnunquam, qui sine liberis moriuntur, qui viduam vel nullam vel mox deceffuram relinquunt, quorum cognati vel non egent haereditate, vel illa recte uti non norunt. Quid rebus ita comparatis, honestius esset, quam si talis partem certe opum suarum destinaret, ut successorum emolumentis inde consuleretur? Sunt aliquae ecclesiae, in quibus hoc laudabiliter factum sit, et nos ipsi Freybergae fruimur aliquot legatis, quae nostris decessoribus vel earum viduis, accepta ferimus. Sic parvo parum addendo, paullatim augerentur redditus nostri, ut pares essemus faciundis sumtibus illis quidem longe maioribus, quam, quos avorum tempora requisiverunt. Haec praecipue causa est, cur *Salvianus Massiliensis* libellum *adversus avaritiam* scriptit, qui omnibus inde notus erit, quod habemus in *Opusculis theologicis S. V. Ernesti* dissertationem de *avaritia ecclesiastica*, in qua Salviani liber recensetur et asseritur, eum rectissime pro *avaritia ecclesiastica* inscribi debuisse. Non refragamus Summo Viro Salvianum iure meritoque taxandum, qui eo spectaverit ut omnes omnium pecuniae per donationes et testamenta, verbo ad pauperes, revera ad Ecclesias et monasteria confluenter. Nonnulla tamen in excusationem eius adferri possent, quae mihi libellum *adversus avaritiam* legenti in mentem venerunt, e quibus haec tantum adiiciam, Salviano praecipue rem esse cum hominibus *religiosae professionis* qui ecclesiae sedicaverint, hanc vero, testamenta condentes, praetereant; eum porro male

C

habere

habere in primis, si neglecta ecclesia, haeredes feribantur homines divites et luxuriosi. De quo unum locum excerpemus. Ita loquuntur apud eum coram iudicio divino, quos reprehendit: *Ecco enim nunc haeredes mei de meo affluunt, immensarum divitiarum copiis exabundant. Induuntur purpura et lyso epulantur quotidie splendide, incubant defossis a me talentis, premunt argenti et auri congeftas frues, materiam quoque his voluptatum omnium praeparavi, dispenduntur delictis a me relictis. Ego diu abstinui, ut nunc illi ebriarentur. Crapula est illorum, frugalitas mea. Natant tricliniorum redundantium pavimenta vino, falerno nobilitum faciunt; mensae eorum ac toremata, mero iugiter madent, semper uada sunt. Luxuriant in peristomatis, quae ego feci, fornicantus in sericis, quae reliqui.* Lib. IV. Eiusmodi vero hominibus testamenta scribere, non sine iure disuaderi poterat a Salviano.

Sed nolo longior esse, quum iam plura de argumento meo verba fecerim, quam opus erat ad tales, qui praecepta haec viva imagine exprimunt, et id unice agunt ut miniflerio suo maiorem indies amplitudinem concilient. Summa enim voluptate adscierit et propterea indecidentes gratias ago Patri Domini nostri Iesu Christi, quod tantus inter Vos, Reverendissimi Fratres, eorum invenitur numerus, qui πρεσβυτέρες ὑπὲρ Ἰησοῦ, re ipsa se demonstrent, Spartamque suam singulari pietate et pulcherrimis virtutibus, nec non profundiore eruditione omniq[ue] vitae genere sapienter prudenterque instituto, exornent. Quanti inde Vos faciam, quo amore Vos complectar, quo cultu Vos prosequar, quantopere honori Vestro faveam, nullis verbis eloqui possum. Quam bene de Vobis in posterum quoque sperem, quanta ex Vobis commoda ecclesiae pollicear, quam salvum et incolumem nostrae Dioeceseos statum animo praecipiam, dici nequit. Quam de Vestro in me favore et de huius nostrae concordiae uberrimis fructibus firmiter persuafus sim, nulla verba satis exprimunt. Expectate igitur de me, si nihil aliud, certe sinceritatem et candorem animi et iustum de Vestris meritis et praeclare factis iudicium. Expectate de me, ut dum singulos Vos in debito honore habeam, idque quavis data occasione, ostendam, saltem de amplitudine universi nostri ordinis, nihil diminuturus sim. Ita vero pro publica declaratione Vestrae in me benevolentiae, quam scriptis ediditis, gratias Vobis exsolvo, quas possum, maximas, Dominum nostrum, Iesum Christum sine intermissione precaturus, ut Vos instrumenta suae gloriae quaque diutissime esse iubeat, omnes labores Vestros Spiritu suo sancto fortunet, Vobis, Vestrisque honestissimis familiis vitam et prosperitatem largiatur et ab omni adversitate, potente sua manu, Vos tutos collocet.

Z  
6236

QK.267/49.

DE AMPLITVDINE  
MINISTERII SACRI HODIerna

AD VIROS

MAXIME ET PLVRIMVM REVERENDOS AMPLIS-  
SIMOS DOCTISSIMOS

ARCHIDIACONVM, PROTOMYSTAS,  
ADIVNCTOS, PASTORES,  
DIACONOS,

VERBI DIVINI IN FREYBERGENSI DIOECESI MINISTROS

EPISTOLA

M. IOANNIS GOTTLÖB RICHTERI  
PAST. ET SVPERINT. FREYB.



FREYBERGAE,  
Litteris BARTHELIANIS.  
MDCCCLXXXI.

